


1530. in febr

Mxor Ducis Saxoniae ac Soror  
Regis Sigismundi.

Salutem, et charitatem sororiam Serenissime Rex idemque Domine et frater Charissime. Non dubitamus quin regia Serenitas Vestra memoria adhuc teneat, cum nos olim ex patria isthinc nostra huc ad Illustrissimum Principem Dominum Georgium Saxoniae Ducem et Dominum et Maritum nostrum Charissimum Deduceremur. Duas puellas ex nobili in Polonia genere natas, officij atque ministerij causa apud nos huc remansisse. Quarum nempe altera Dorothea Nicolai milonowski filia cum voluntate auctoritateque Domini et mariti nostri in his regionibus, jam olim nobili viro Henrico De Heynich collocata fuerit, cum plures ex eo liberos procreata erat, ea nobis quae ribunda exposuit, patrem suum Nicolai milonowski, cum praeter se filium adhuc filiamque reliquisset ante aliquot annos mortem obijse. Eo mortuo fratrem Stanislaus cum Sophia sorore paternam hereditatem divisisse se nec consentiente, et propter locorum longinquitatem etiam ignorante seu tunc esse, ut frater quoque nullis liberis, aliquando autem post etiam soror relictis aliqut liberis decessisset. Quo casu Martinum Ritheiski maritum

ejus





ejus, communium liberorum nomine, universam  
Stanislai ipsorum Avunculi hereditatem ad se  
traxisse, eaque quo jure, qua injuria ad hunc diem  
detinuisse, et adhuc detinere, et quamquam ipsa, ut  
ad quoniam Defunctorum primum patris, Deinde fratris  
hereditas ex certa parte redisset non semel  
hoc nomine ad ipsum scripsisset, et ad extremum  
filiorum quoque unum misisset, qui debitam  
hereditatis partem suo mandato peteret, ta-  
men se nihil aliud responsi tulisse, nisi quod  
Soror ipsa Sophia dum viveret, rogasset, ut par-  
tem sibi etiam donaret, atque remitteret. Quod  
cum ipsa propter multitudinem liberorum, quibus  
omnibus honeste prospicere cuperet, et debe-  
ret sine summo Damno atque Detrimento  
facere non posset, rogavit nos pro suis veteri-  
bus officiis, ac rei quoque ipsius aequitate, ac  
suppliciter a nobis contendit, ut se causamque  
suam R. S. V. Diligenter commendarem. Cum  
igitur nobis iniquum videatur illam paternam  
hereditatis debitam partem carere, et ex officio  
suo quod nobis prestitit, dum Patria parenti-  
bus cognatisque relictis tam longe gentium  
in exteras nationes nos secuta, huius quoque  
summa semper cura assiduitate, fide ob-  
servavit, non modo non fructum, quoddem par-  
erat, sed damnum etiam, atque incommodum sentire roga-  
mus. Antem vestram majorem in modum, ut ea et  
causa aequitate permota, et nostra quoque comen-  
datione adducta Oratoribus suis, quos ad proximum conven-  
tum Polonia missura est hoc nomine mandatum dare,  
dignetur, quo illi dicta Dorothea et Hethnich filio, qui  
cum Dno et marito nri Oratoribus eodem venturus est, aliquam  
hac de re spem ostendant. Qua fretus idem porro Martinum  
Pitheisk. officium, et ab eo debitam partem consequi possit.